

fabricam in his tribus sexagenis grossorum Fribergensium in commemoratione parentum et fratrum suorum ipso vivente, et post suum obitum suum anniversarium cum parentum et fratrum suorum memoria bis in anno in quolibet termino in libro mortuorum scripto et signato, alteram dimidiam sexagenam grossorum Fribergensium iuxta ordinem et modum superius tactum per magistros fabricae ecclesiae nostrae — in omnem eventum annuatim perpetuis temporibus ministrandis — obligavimus — et praesentibus — obligamus —. Ne autem oblivio, quae erroris mater est, ullum in praemissis vindicare valeat sibi locum, praesens statutum sigillo nostri capituli autentico sigillare et effectum ipsius in libro mortuorum scribi fecimus in memoriam sempiternam. Actum et datum anno domini millesimo quadringentesimo quarto, ipso die nativitatis Mariae virginis gloriosae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grösseren Siegel des Capitels zu Naumburg an einem Pergamentstreifen.

No. 775. 1404. 11. Nov.

*P. Innocentius VII. befiehlt die von seinem Vorgänger Papst Bonifacius IX. auf B. Thimos Nachsuchen beschlossene Feier des Erasmustages in den Kirchen der Meissner Diöcese.*

Innocentius episcopus — ad futuram rei memoriam. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea quae de Romani pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicitatis recordationis Bonifacius papa VIII. praedecessor noster venerabilis fratris nostri Thimonis episcopi Misnensis, qui ut asserebat ad sanctum Erasmum martyrem et pontificem singularem gerebat devotionem, et in honorem et sub vocabulo eiusdem sancti Erasmi et sanctae Barbarae virginis et martyris quandam capellam in castro Stolpen Misnensis diocesis fundare et aedificare inceperat, eam cum aliorum Christi fidelium elemosynis dotare proponebat, supplicationibus inclinatus auctoritate apostolica videlicet III. Kal. Septembris pontificatus sui anno quintodecimo statuit et voluit ipsius sancti Erasmi festum ad instar alterius martyris et pontificis festi celebris per sedem apostolicam instituti de cetero in ecclesia et civitate Misnensi ac dicta diocesi celebrandum, universis et singulis ecclesiarum praelatis et rectoribus ac personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis per ipsas civitatem et diocesim constitutis in virtute sanctae obedientiae districtius iniungendo, ut festum eiusdem sancti Erasmi de cetero singulis annis ad instar eiusdem alterius martyris et pontificis deberent solemniter honorificentia debita celebrare, ut ipsi ex huiusmodi honore dicto sancto Erasmo martyri et pontifici in praesenti seculo exhibendo ipsius pia intercessione mererentur assequi aeterna praemia et sempiterna gaudia in excelsis, constitutionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Ne autem pro eo, quod super statuto et voluntate huiusmodi dicti Bonifacii VIII. praedecessoris superveniente obitu litterae apostolicae confectae non extiterunt, idem Thimo episcopus huiusmodi statuti et voluntatis frustretur effectum, volentes et auctoritate apostolica decernentes quod statutum et voluntas praedicta ab eadem die videlicet III. Kal. Septembris suum consequantur